



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XXVIII. De affectibus divinæ Voluntatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



homicidii peccata de regno non deturbavit, sicut antea deturbaverat Saulem; cum denegat reprobis gloriam, hominesque in dies juxta iniquitatum ab iis commissarum meritum non punit, & id genus alia: hæc, inquam, cum ex misericordiâ, vel justitiâ præstet, & consequenter motivum aliquod habeat, negationes istas necessariò vult positivè; arguunt siquidem tendentiam positivam, ut constat. Hinc tamen, ut dixi, perperam quis inferret, Deum non posse aliter procedere, & circa res varias merè se habere negativè. Certè nihil video quod con-

trarium evincat.

Disputant hic aliqui de æqualitate & inæqualitate divinorum actuum; utrum nimirum ratione nostrâ, (realiter enim, ut sæpè dictum est, omnia in Deo sunt idem) aliquis inter eos reperiri excessus possit. Sed rem hanc suprà in tractatu de scientiâ Dei discussi, ubi ostendi inter diversos divinæ cognitionis actus dari inæqualitatem, aliosque aliis esse perfectiores. Idem proinde nunc dici debet de actibus voluntatis. Videatur sectio octava hujus Disputationis.

VI.  
De æqualitate divinorum actuum dictum est suprà.

## DISPUTATIO XXVIII.

### De affectibus Divinae Voluntatis.

Undecim diversi animi affectus, sex concupiscibilis, quinque irascibilis.

**S**ANCTVS THOMAS 1. 2. quest. 23. & 25. undecim diversos actus, seu affectus enumerat, sex ad partem, ut ita dicam, animi concupiscibilem spectantes, quinque ad irascibilem. Affectus prioris generis sunt Amor, Desiderium, Delectatio, quibus opponuntur Odium, Fuga, & Tristitia. Affectus verò posterioris generis, seu ad irascibilem spectantes, sunt Spes, Desperatio, Audacia, Timor, & Ira. Cum ergo de Amore & Delectatione, seu Gaudio egerimus, quo pacto in Deo tum respectu sui, tum creaturarum reperiantur, nunc de reliquis inquirendum, possint necne sine incommodo in Deo admitti.

#### SECTIO PRIMA.

Sintne in Deo Desiderium, Odium, Fuga, & Tristitia.

I.  
Deus respectu boni proprii, non habet desiderium, nec fugam contrarii.



UOAD primum, certum est in Deo respectu boni proprii, & perfectionum intrinsecarum, non esse desiderium: hoc quippe est de bono non habito, seu absente; nihil autem à seipso abesse potest. Fugam etiam mali, huic bono oppositi habere similiter nequit, id enim malum ei accidere est impossibile.

II.  
Boni verò nostri habere potest Deus desiderium, & fugam oppositi.

At circa bonum nostrum potest Deus habere desiderium; hic enim affectus, ut dixi, est appetitus boni nondum habiti, hujusmodi autem affectum habet Deus; quo sensu S. Chrysostomus Hom. 1. in Epist. ad Ephesios exponit verba illa Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Ratio est: nam multa bona creata Deo absunt, utpote cui omnia ab æterno, & modò etiam infinita non sunt præsentia, & ex iis varia per modum finis obtinere intendit, ergo in ea fertur verò affectu desiderii. Et idem est de fugâ mali nostri futuri, aut possibilis. Res verò præteritas, pro tempore quo sunt præteritæ, Deus non desiderat. Ita Suarez hic, lib. 3. de Attrib. positivis, cap. 7. num. 4. Vasquez. 1. p. disp. 84. cap. 1. Contrarium nihilominus tenet P. Granada hic, tract. sexto, Disp. 4. num. 3.

III.  
Quo sensu S. Thomas negat Deo desiderium.

Quando autem S. Thomas hic, q. 20. a. 1. ad 2. negat in Deo reperiri desiderium, tum quia desiderium est de bono non habito, tum ob imperfectionem quam hic affectus in se solet involvere: in primis tantum loqui videtur S. Doctor de deside-

rio boni proprii, ut rectè Vasquez & Tannerus citati, quod suprà num. primo diximus in Deo reperiri non posse. Quoad id quod addit de imperfectione, solum fortasse vult, desiderium quod in Deo est respectu boni creati, non esse nostro simile, in quibus desiderium plerumque cum anxietate quâdam, & solitudine est conjunctum.

Circa actum odii, divisos inter se video Theologos, affirmantibus aliis, aliis negantibus, quodque adhuc plus est, sacrarum literarum testimonia pro se utrisque afferentibus: sic enim Sapientiz 11. v. 25. dicitur: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Eodem verò libro, cap. 14. v. 9. *Odium Deo ascribitur, sic enim habetur: Odium sunt Deo impius, & impietas ejus.* Malachiz item primo, v. 3. dicitur: *Dilexisti Deum, Jacob dilexisti, Esau autem odio habuit.*

Notandum, odium esse duplex, abominationis, & inimicitia. Odium abominationis est displicentia de objecto aliquo, dum quis illud averfatur. Odium verò inimicitia id dicitur, quo quis personæ alicui vult malum, pænæ scilicet inflictionem, aut quid simile. De odio itaque abominationis, consentiunt omnes in Deo propriè reperiri: verè enim peccatum, & illius intuitu peccator ei displicet: quo sensu intelligendus est locus ille Sap. 14. proxime citatus: *Odium sunt Deo impius, & impietas ejus.* Ratio autem est, hic siquidem affectus nullam arguit in Deo imperfectionem, sed perfectionem potius; sicut enim rectè rationi consonum est amare bonum, ita non est eidem disforme, imò maximè est conforme averfari & odisse malum. Quare odium hoc modo sumptum, in Deo reperiri admittunt passim Theologi: Molina 1. p. q. 20. a. 1. Suarez hic, lib. 3. cap. 7. num. 5. Vasq. 1. p. Disp. 84. c. 1. Granada Tract. 6. disp. 2. Tannerus d. 2. q. 10. dub. 2. n. 2. 4. & 5. Arriaga hic, d. 25. l. 4. n. 43. & alii. Circa

IV.  
Quo sensu in Deo reperiantur actus odii.

V.  
Odium duplex, Abominationis & Inimicitia.

Odium malum, arguit perfectionem.



VI. Circa odium inimicitia, in Deo reperitur necne, variant auctores. Negat Ferrara lib. 1. cont. Gent. cap. 96. Salas 1. 2. tract. 9. Disp. 1. sect. 2. Suarez citatus, & alii. Odium quippe inimicitia proprie dictum, est actus, quo malum quis alteri vult, quod malum, seu formaliter quia nocivum illi est, non quia volenti est bonum: Deus autem non hoc modo poenam peccatoribus infligit, precise scilicet quia mala illis est, sed ex affectu justitiae, & quia aequitas requirit, ut culpam poena sequatur, & qui in hac vita divinam majestatem offenderunt, post mortem plebantur. Vasquez vero hic, Disp. 84. cap. 3. Alarcon Tract. 3. Disp. 7. cap. 3. Tannerus proxime citatus, & alii affirmant in Deo odium inimicitiae erga peccatores proprie reperiri, cumque poenam iis, qua illis mala est, post mortem infligere. Mihi nihilominus prior opinio videtur probabilior, Deum scilicet peccatores punire, non quia hoc illis malum est, sed quia universo bonum, Deoque honorificum; cuius nimirum dignitas postulat, ut laesa tantae majestatis rei, poenas luat.

VII. S. Thomas negat dum lib. 1. contra Gentes, cap. 96. negat esse in Deo actum odii; hic vero q. 20. a. 2. ad 4. affirmat, nullo modo sibi est contrarius; in primo enim loco, vel solum negat Deo odium inimicitiae stricte sumptum, vel ait non odisse eum peccatores precise ut naturae rationales sunt; ut sic enim sunt boni, sed mere quae peccatores, quo nomine eos averfatur, iisque poenas jure illis debitas infligit.

VIII. Hinc etiam facile conciliantur Scripturae testimonia circa actum odii in Deo supra num. quarto posita: primus enim locus Sapient. 11. ubi de Deo dicitur: *Diligis omnia quae sunt, & nihil odistorum quae fecisti*: hoc, inquam, loco sermo tantum est de naturis rerum secundum se, quae bonae sunt: unde Gen. 1. post rerum fere singularum creationem dicitur, *vidit Deus quod esset bonum*: ac tandem v. 31. additur, *Et vidit Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona*. Secundus autem locus: *Odio sunt Deo impius & impietas ejus*, intelligitur de peccato, quod Deus odit & averfatur. Quod etiam suo modo de loco illo Malachiae dici debet.

IX. Quoad tertium, *Tristitia* cadere in Deum nullo pacto potest, utpote cum summa felicitate, Dei propria, aperte pugnans: unde nec homo, nec Angelus in statu beatitudinis, illius capax est: & Christi in terris, in mortali corpore degentis anima, non nisi per miraculum dolore ac tristitia affici potuit, Deo ad humani generis redemptionem in hoc dispensante. Quare loca illa Scripturae, quae dolorem Deo ascribunt, ut Gen. 6. v. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus*, &c. & ad Ephes. 4. v. 30. *Notite contristare Spiritum Sanctum Dei*. Haec, inquam, & si qua sunt hujusmodi, intelligi necessario debent metaphoricè, cum, ut vidimus, tristitia contra imperfectionem nequeat in Deo reperiri. E contra vero, ubi Sacrae Literae Deo gaudium tribuunt, intelligi possunt ac debent proprie, cum hic affectus Deum nullo modo dedecet.

SECTIO SECUNDA.

De ceteris affectibus Divinae voluntatis. Vbi etiam de intentione & electione.

I. Agendum hic de affectibus, qui in nobis ad partem concupiscibilem pertinent: R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. 1.

nunc de illis quoque agendum, qui spectare dicuntur ad irascibilem, nempe de Spe, Desperatione, Audacia, Timore, & Ira.

Ipprimis itaque *Spem* in Deo reperiri non posse, certum est: tum quia, ut ait Vasquez hic, disp. 84. cap. 1. num. 3. actus spei respicit superiorem, seu potentiozem, a quo id tribuatur quod speramus; ex quo manifestum est, in Deo spem esse non posse, cum is omnium supremus sit ac potentissimus. Tum praecipue, quia, ut docet S. Thomas, spes respicit bonum arduum, seu in cujus adeptione, aliqua apparet difficultas, & ex naturam suam tendit ad superandam difficultatem: Deo autem nihil esse potest difficile. Et in hoc differt *Spes* a *Desiderio*, quod licet interdum feratur etiam in difficile, ex naturam tamen suam non tendit ad superandam difficultatem; hoc siquidem peculiariter ad irascibilem spectat, ad quam *Spes* pertinet, ut verferetur circa res difficiles, vel eas superando, quod spei proprium est, vel succumbendo, & animum abjiciendo, quod facit *Desperatio*, hoc nomine a Deo quam longissime removenda.

*Audacia* etiam & *Timor* circa arduum versantur: illa supra vires aliquid aggreditur, qua de causa dari in Deo non potest, cujus virtus res omnes, quantumvis difficiles, infinitis gradibus excedit. *Timor* vero est de malo, quod aliqua ratione censet quis, aut saltem suspicatur sibi eventurum, quod nefas foret de Deo cogitare. Licet autem *Timor* esse etiam queat de malo amicorum, nihilominus, ut recte Vasquez citatus, num. 4. est de malo illo alterius apprehensio quasi esset proprium, quod in Deum cadere nullo modo potest. Adde, *Timorem*, ut dixi, circa arduum & difficile versari; Deo autem, ut ostensum est, nihil esse potest difficile.

Denique circa *Iram*, inveniatur necne in Deo, non parva est inter auctores dissensio. Suarez hic, lib. 3. de Attrib. positivis cap. 7. num. 8. & Opuic. de Justitia Dei, sect. 5. initio, cum aliis docet, esse inter Theologos dissensio. *Iram* proprie sumptam in Deo reperiri, secutus Lactantium lib. de Ira Dei, cap. 5. Vasquez e contra, 1. p. Disp. 84. cap. 4. Granada hic, Tract. 6. Disp. 4. num. 7. Tannerus 1. p. Disp. 2. q. 10. dub. 2. num. 8. Arriaga 1. p. Disp. 25. sect. 4. num. 43. & alii negant *iram* strictè dictam esse in Deo, sed lato tantum modo, & metaphoricè sumptam.

Quaestiois hujus decisio ab eo pendet, in quo situs sit conceptus formalis *ira*. Si enim vel perturbationem aliquam, vel dolorem includat, aut praesupponat, ut volunt plerique ex antiquis, certum est in Deo reperiri *iram* non posse, cum haec manifestam in habente arguant imperfectionem. Sin autem, ut post Lactantium affirmat Suarez citatus, aliud nihil sit *ira* quam appetitus ulciscendi, nulla hic involvitur imperfectio, nec quidquam Dei excellentiam indignum.

In eam ergo partem magis propendo, ut *iram* proprie & strictè sumptam in Deo reperiri existimem: tum quia *iram* Deo toties divinae literae attribuant; tum quia nec dolorem, nec ullam perturbationem (licet cum his in nobis ut plurimum semper reperiantur) in conceptu suo essentiali includit: sicque S. Augustinus lib. 13. de Trin. cap. 16. *Ira Dei*, inquit, *nihil aliud est, quam iusta vindicta*: in quo conceptu clarum est nullam imperfectionem involvi. Unde S. Thomas hic, q. 20. a. 1. ad 2. non alio modo *iram* Deo negat, nisi secundum perturbationem & alias imperfectiones, cum quibus in nobis *ira* contingit, quae tamen de essentiali *ira* conceptu non sunt, ut vidimus, sed solus appetitus

Hic ad irascibilem spectantibus.

II. Spes in Deo reperiri nequit, quia respicit bonum arduum.

III. Audacia & Timor esse nequeunt in Deo.

IV. Sine ira proprie dicta in Deo, magna est inter Theologos dissensio.

V. In quo consistat essentialis conceptus *ira*.

VI. Probabilis est, *iram* proprie dictam, in Deo reperiri.

Quo sensu S. Thomas *iram* in Deo dari negat.



titus vindictæ. Quare idem S. Doctor 1. 2. q. 47. a. 1. ad 1. expressè docet, iram, licet non secundum passionem animi, tamen secundum iudicium iustitiae, prout vult vindictam facere de peccato, in Deo reperiri.

VII. Quoad secundum in titulo propositum, hæc quatuor actuum genera ratione nostrâ distincta, in Deo propriè & formaliter reperiuntur. *Intentio, Electio, vsus, & Fructio*: ita communis Theologorum sententia. *Intentio* est efficax voluntas finis, quæ quamvis in Deo, respectu eorum quæ ad intra sunt, non detur, datur tamen respectu rerum Deo extrinsecarum, & operationis transeuntis, ut ostendit illud Proverb. 16. v. 14. *Omnia propter*

semetipsum operatus est Dominus. *Electio* circa media versatur, quæ scilicet Deus unum aliis ad finem quem intendit obtinendum, præfert. Sic hunc potius mundum, & hanc rerum seriem elegit quàm aliam, ex infinitis quas eligere potuisset. *Vsus* est voluntas mediorum, quæ jam electa sunt, executiva. *Fructio* demum est quies ac delectatio in fine possessio, nempe Deo, qui seipso tanquam rerum omnium creaturarum fine (utpote ad quem cuncta ordinata sunt) perfectissimè fruatur. Hæc juxta communem sententiam obiter in præsentia dixi; postea enim in materia de Prædestinatione de iisdem redibit sermo.

Quomodo differant Electio, vsus, & Fructio.

## DISPUTATIO XXIX.

### Divisiones aliquot Divinae Voluntatis.

**Q**UATUOR ut plurimum à Theologis recensentur Voluntatis Divinae divisiones, de quibus in presenti disputari solet: prima est in voluntatem antecedentem & consequentem. secunda in actum volentem & permittentem: tertia in voluntatem efficacem & inefficacem: quarta denique in voluntatem signi & beneplaciti. De quibus omnibus suo ordine dicendum.

#### SECTIO PRIMA.

*Quid sit voluntas Dei antecedens, quid consequens. Vbi etiam de actu volente, & permittente.*

I. Dantur in Deo voluntatem antecedentem, & consequentem, constans est Theologorum sententia.



ONSTANS Theologorum sententia est, duplicem hanc, ratione nostrâ, voluntatem in Deo reperiri: nec parvum habet in Sanctis Patribus, ipsisque ad eod. Divinis Literis fundamentum. Eam præ reliquis apertius tradidit S. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ fidei, cap. 29. ubi sic habet: *Illud quoque nos ne fugiat, Deum ut bonitate præstantem, primariè quidem omnes homines servari, ac regni sui compotes esse velle, ut iustum autem, iis quoque qui peccant, penam inferni nihilominus velle. At prius illud, antecedens voluntas, seu beneplacitum dicitur, ex ipso manans. Secundum autem, insequens voluntas, atque permissio à nostro vitio ortum ducens.* Hæc ille. Licet verò exemplum in voluntate homines salvandi posuerit, tanquam præcipuo in nos à Deo collato beneficio, idem nihilominus est de aliis rebus, in quibus duplex hæc Dei voluntas, antecedens scilicet & consequens, cerni potest, ut mox videbimus.

II. Quam autem in hac divisione divinae voluntatis in antecedentem & consequentem astruendâ concordant sunt Theologi, tam sunt in eâ declarandâ discordes. S. Bonaventura in 1. disp. 47. a. 1. q. 1. Durand. ibid. q. 1. num. 5. Gabriel, & alii voluntatem antecedentem eam esse volunt, quæ non terminatur ad rem aliquam in se, sed ad aliquid quod eam antecedit ex quo fieri possit, licet ite-

quenter non fiat, quia aliunde accedit impedimentum. Sic inquit, voluntas antecedens, quam Deus habet salvandi reprobos, non terminatur immediatè ad gloriam, sed ideo dicitur Deus velle iis antecedenter gloriam, quia vult illis gratiam sufficientem, in quâ, gloria continetur, utpote per quam, si cooperari cum eâ velint, obtinere beatitudinem possint.

Hic tamen voluntatem antecedentem & consequentem explicandi modus non omnino assecutus rem videtur. Voluntas quippe antecedens, immediatè terminari debet ad rem cuius est voluntas, cum sit vera & propria illius volitio; non ergo sufficit remotè tantum, & in alio eam velle, cum hic sit improprius, & quasi metaphoricus volendi modus: Deus autem per voluntatem antecedentem verè & propriè vult omnium salutem, juxta illud ad Timoth. 1. cap. 2. v. 4. *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Deinde voluntas salutis, & voluntas mediorum censentur passim à Theologis, ratione nostrâ, duæ voluntates; in hæc autem sententiâ non sunt nisi una, quæ eatenus terminari dicitur ad salutem, quatenus immediatè tendit in media illius effectiva, nempe gratiam sufficientem.

Alii voluntatem antecedentem eam esse docent quæ est conditionata & inefficax; consequentem verò absolutam semper & efficacem: priorem itaque sine effectu, seu re volitâ persistere posse affirmant; secundam verò aiunt nunquam sine effectu reperiri. Sed, meo iudicio, in hoc voluntatem antecedentem & consequentem explicandi modo, duo sunt difficilia; primum, quòd hac ratione duæ voluntatis divinae divisiones, de quibus à Theologis tanquam de distinctis disputatur, inter se confunduntur, nempe antecedens & consequens, efficax

III. Voluntas antecedens debet dici eamimmodi, sed immediatè, & propriè.

IV. Nonnulli voluntatem antecedentem eam esse voluntatem, quæ est sine effectu, & inefficax, idem ac consequentem.